





17

Er. g. num. 40.
1774/67

EXERCITATIO IVRIDICA
QVAESTIONEM CONTINENS

*An et quatenus exceptio
veritatis, a poena iniuriarum liberet*

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTISB. CAPITVL. CVRIAE
IN PROVINCIA SVPRMAE IVDIC. LVSAT. INFERIOR.
NEC NON FACVLT. IVRID. ASSESS. ET
ACADEM. DECEMV.

P 434

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XIX. FEBRVAR. MDCCLXXI.

PVBLICE DEFENDET

ELDAT. FRIDERIC. WEBERVS

DRESDENS.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



Handwritten scribble or signature in the top left corner.

Faint, mirrored text from the reverse side of the page, appearing as bleed-through. The text is largely illegible but seems to contain Latin or German words.

Vertical handwritten scribble or signature on the right edge of the page.





§. I.



equitati nihil conuenientius est, quam
vt iniuriam illatam vindicandi laeso
tribuatur actio. Hanc ob causam
iuris adfistentia delicta diuidimus in
publica et priuata. Quamuis etenim omnia delicta
interesse reipublicae laedant et hinc inde promerean-
tur poenam, quaedam tamen ita sunt comparata,
vt principaliter salutem priuatorum, alia vero dire-
cte salutem reipublicae offendant, quod efficit, vt
illa priuata, haec publica appellemus. Ad priora
refertur iniuria, iniuriarum enim causam non pu-
blici iudicii, sed priuati continere quærelam asserit
Imperator. *l. 7, C de Iniur.* inuoluit vero iniuria id, quod

A 2

dolo



dolo malo in alterius contumeliam verbis vel factis suspicimus. Ex quo apparet, cum ex affectu facientis consistat iniuria, illos, qui ob defectum mentis facere non possunt, ab iniuriarum actione penitus esse immunes, quamvis interdum damnum tali modo nobis vel rebus nostris illatum vindicare liceat ab eis, qui dum custodiam harum personarum gerunt, debitam non adhibent diligentiam, sed omittendo, ut nobis contingat praeiudicium, efficiunt.

§. II.

Diversus est modus, quem leges in exequendis et vindicandis iniuriis admittunt. Iure Romano non solum civiliter, sed etiam criminaliter agi poterat. Hic modus officium iudicis excitabat ad irrogandam poenam extraordinariam §. 10. *I. de Iniur.* qua teste *Hermogeniano l. 45. ff. el. t.* serui flagellis caesi dominis restituebantur, humiliores loci fustibus subiiciebantur, caeteri vero, vel exilio temporali, vel interdictione certae rei coercebantur. Ille autem actionem suppeditabat laeso, mediante qua iniuriam aestimabat, et eius praestationem ab iniuriante desiderabat adhibito tamen §. 7. *I. h. t.* arbitrio iudicis, ne ultra modum actor petitionem instituat, sed dignitatis pariter et qualitatis personae habeatur ratio.

§. III.



§. III.

Sed quamvis extra Saxoniam nonnullis in terris actio aestimatoria adhuc obtineat et saepiusculae solemnitatibus quibus processu ordinario causas civiles tractamus, absoluitur, in Saxonia tamen aliter sentimus, et remotis prolixitatibus secundum mandatum de Duellis d. 2 Jul. 1712. praecedente sola denunciatione, nec expectato libello, de simplici et plano causam agimus, et poenam irrogamus vel ex mandato, quatenus personas expresse denominatas iniuria, tangit, vel ex Ordin. Pol. de anno 1661. quando de plebeis, rusticis, vel aliis personis Edicto non comprehensis, causa agitur.

§. IV.

Sed mittamus haec, quae iam aliunde satis sunt cognita, deveniamus potius ad id, quod nobis occasionem hanc schedulam conscribendi, suppeditavit. Mouetur nempe quaestio, vtrum exceptio veritatis denuncianti opposita, a poena iniuriarum legibus determinata liberet. Tingamus casum; Titius denunciando ad iudicem desert, quod Caius ipsi furtum imputaverit, deprecationem declarationemque honoris petit, et vt Caius condigna afficiatur poena, desiderat. Hic iniuriam sponte confitetur, insimul vero ea, quae dixisset vera esse, et Caium furtum commississe declarat, et suspiciones, quae Caium fur-



ti reum efficere possunt, profert. Anceps est iudex in decidenda causa, et, vtrum poena dictanda sit Titio, vel inquisitio contra Caium ob furtum imputatum institui possit, disceptatio oritur.

§. V.

Negandum non, est neminem sibi met ipsi dicere posse ius, sed ideo Princeps in republica iudicem constituit, vt ad illum deferatur causa, et eius auctoritate laeso succurratur. Optimum etenim est, vt, si quas putes te habere petitiones, actionibus experiaris; et ex Decreto Dni Marci *l. 12. ff. Quod met: causa* non sola est vis, quando homines vulnerantur, sed etiam, quoties quis id, quod deberi sibi putat non per iudicem reposcit. Qua propter is, qui conuictus est, se rem debitam, vel pecuniam non ab ipso debitore sponte datam sine vilo iudice temere possidere, vel accepisse, et sibi ius in eam rem dixisse, secundum leges ciuiles potestatem exigendi creditum non habet, sed suo iure cadit. Ait enim Imperator l. 7. C. vnde vi. si quis in tantam furoris peruenerit audaciam, ut possessionem rerum apud fiscum, vel apud homines quoslibet constitutarum ante aduentum iudicialis arbitrii violenter inualerit, dominus quidem constitutus possessionem quam abstulit, restituat possessori, et dominium eiusdem rei amittat; quae quidem dispositio



positio iure Saxonico CARPZ. P. IV. *Const. El.*
XXXV. def. II. eatenus est correcta, ut creditor tan-
tum rem debitori restituere cogatur, dominium vero
ac ius debiti habebat saluum.

§. VI.

Nec alienum ab hac sententia est ius Canoni-
cum; quem enim quæso fugit canon redintegranda
3. C. III. *qu. I.* ex quo actio spoli in foro triumphat
et maiorem effectum quam interdictum vnde vi ha-
ber, producit, cum hoc tantum propter rem immo-
bilem et contra deiciendam, illa vero etiam ob rem
mobilem et contra tertium possessorem, competat,
Hac ex causa locator, qui conductorem ob merce-
dem non solutam propria expellit auctoritate, et eius
bona ad consequendum debitum occupat, quamuis
eius petitio videatur iusta, persequitur enim iura sua,
ad restituendam possessionem compellitur, pariter-
que, vt damna resarciat, adigitur.

§. VII.

Ex his apparet, contra leges agere illum, qui
iudicem rei suae agit, et auctoritatem magistratus re-
spuit. Hoc factum inuoluit iniuriam, quae in sensu
generaliori omne quod non iure fit denotat. Quae
cum ita sint, non immerito sequi videtur conclusio,
Caium.



Caium committere iniuriam, qui Titio delictum imputat, et illud ad iudicem vt de veritate eo melius inquirat, non defert. Quamuis enim de delicto conuinci possit Titius et vtilitas reipublicae eo ipso promoueatur, cum intersit reipublicae, ne delicta impunita mancant, ex persona tamen Titii procul dubio iniuria committitur, cum non eo animo vt delictum detegatur sed potius vt contumeliam inferat Caio et eius famae noceat, hoc fecisse praesumatur; alias enim si haec non fuisset eius intentio, iudicem adire et eius vindictae commissum facinus relinquere debuisset.

§. VIII.

Ast si ex aduersa parte causam considerare velimus, potiora ea sunt argumenta, quae Caium defendere, et a poena iniuriarum liberare possunt. Constat nempe ex notione quam in antecedentibus de iniuria dedimus, dolum siue malignum propositum efficere substantiale, quo deficiente non potest dici, quod aliquid in alterius contumeliam sit factum; hinc si quis hominem liberum caeciderit, dum putat seruum suum in ea causa est, ne iniuriarum teneatur *l. 3. §. 4. ff. de Iniur.* Quapropter si inferiorum aedium dominus superioris vicini fumigandi causa fumum faceret, aut si superior vicinus in inferiores aedes quid aut proie-



proiecerit, aut insuderit, negat **L A B E O. l. 44. ff.**
d. t. iniuriarum agi posse, quod probat Iuolenus,
 nisi iniuriae faciendae causa immittatur. Ex quo li-
 quido apparet, non solum factum, licet videatur iniu-
 riosum efficere iniuriam, sed semper ad animum in-
 iuriantis qui dolum arguit, esse respiciendum.

§. IX.

Dum diximus solum factum haud efficere iniu-
 riam, ob stare nobis videtur, quod interdum facta ita sint
 comparata, vt quoties de illorum existentia constet, ad
 intentionem facientis non sit respiciendum. Pona-
 mus, Caium Titium verberasse, non ne solum fa-
 ctum verberationis denotat iniuriam, et operatur sa-
 tisfactionem laeso. Equidem non nego hoc asser-
 tum, sed salua tamen nostra manet thesis, sine do-
 lo scilicet non dici posse iniuriam, cum ex affectu
 et proposito maligno ea semper aestimetur. Praesum-
 tio igitur tantum militat contra Caium, quae vero
 vti reliquae praesumptiones, probationem in contra-
 rium admittunt. Hinc Caius ad probationem pro-
 uocans, vtique est audiendus, quam si absoluerit,
 quod et per praesumptiones et coniecturas fieri pot-
 est, exacta enim et plena probatio non desideratur,
 cessat iniuria, quae ex facto vel verbo quod

B

con-



contumeliam inuoluere videbatur, praesumebatur, et animus inferendi suppeditat normam decidendi.

§. X.

Quibus praemissis, merito defendendus est Caius, qui Titio imputat delictum, cuius certitudinis probatio insimul ab eo suscipitur. Non enim dici potest, illum dolo malo agere, qui, dum ex ablatione rei damnum sentit, iusto dolore commotus, eum, qui furtum commisit, furem vocat. Quicquid enim in calore iracundiae vel fit, vel dicitur, *l. 48. ff. de R. L.* non prius ratum est, quam perseverantia apparuit, iudicium animi fuisse. Nec obstat, quod Caius non adierit iudicem, cui Princeps potestatem de delictis cognoscendi et delinquentes puniendi dedit. Cum enim in regula nemo ad denunciandum cogi possit, nisi quaedam delicta, quorum denunciationem leges ob gravitatem pariter, quam concurrentem salutem publicam praescribunt, excipias, nihil quod poenam promeretur, Caius fecit, qui dum delatoris officium respuebat, extra iudicium Titium non animo calumniandi, sed studio veritatis, furti arguebat.

§. XI.



§. XI.

Confirmat et hanc sententiam l. 5. C. de Injur. Air nempe Imperator Diocletianus et Maximin. *si non conuicii consilio te aliquid iniuriosum dixisse, probare poteris, fides veri a calumnia te defendit.* Liberat itaque Imperator in hoc rescripto a poena iniuriarum eum, qui licet verba iniuriosa dixerit, veritatem tamen facti, quod inuoluebat iniuriam, probat, ex ratione, quia desicit dolus quod exprimunt verba non conuicii consilio, quod idem est ac si dixisset, non animo calumniandi. Illustrant argumentum verba subsequencia, si autem in rixam inconsulto calore prolapsus homicidii conuicium obiecisti et ex eo die annus excessit, cum iniuriarum actio annuo tempore praescripta sit, ob iniuriae admissum conueniri non potes. Dum enim conuicium quod in rixa inconsulto calore prolapsus alteri obiecit Imperator iniuriam vocat, eo ipso probat, non ad verba sed animum esse respiciendum, et ex eo iniuriosum factum diiudicari debere.

§. XII.

Obstabit forsan nostro adfero l. 14. C. de Ind. et coelic. *Nullus unquam Indaeus* ait Imperator ob-



teratur, nec expositum eum ad contumeliam religio
 qualiscunque perficiat: non passim eorum synagogae,
 vel habitacula concrementur, vel perperam sine ulla
 ratione laedantur: cum alioquin, etiam si sit aliquis
 sceleribus implicitus, idcirco tamen iudiciorum vigor,
 iurisque publici tutela videtur in medio constituta,
 ne quisquam sibi ipsi permittere valeat ultionem.
 Ex hac lege BERGER in *Oecon. Iur. lib. III. tit.*
IX. §. 14. not. I. LEYS. spec. 551. med. 5. defen-
 dunt sententiam, veritatis probationem a poena in-
 iuriarum minime liberare, quem in modum etiam
 Facultas Iuridica teste MENCCKRNIO ad *Pandect.*
lib. XLVII. tit. X. §. 10. pronunciauit. Probatio-
 nem desumunt a verbis, ne quisquam sibi ipsi permit-
 tere valeat ultionem, et exinde concludunt illicitam
 esse hanc priuatam vindictam. Sed re melius per-
 specta, constantissime nego, legem aliquid con-
 tra nos efficere; partim enim haec lex pro-
 hibet vim, quae ob feruorem religionis infertur
 Iudaeis, hoc indicat vocabulum ab initio positum
obteratur, nec non sequentia verba, *non passim eorum*
synagogae vel habitacula concrementur. Ne tali modo
 tranquillitas reipublicae laedatur, et iuris publici tutela
 in medio videatur constituta, hoc factum, quod ab
 iniuria recedit, et in delictum publicum degenerat,
 penitus improbatur. Partim agit haec lex de facto,
 quod



quod cum veritatis probatione non possit defendi, de dolo et maligno inferentis proposito, testatur. Hinc ait Imperator nullus tanquam Iudaeus, cum sit *innocens*. Dum igitur innocentem contumelioso modo adgressum dicit lex, et verbis posterioribus, quod perperam sine vlla ratione non laedi debeat, disponit, eo ipso constat iniuriantem ad veritatis exceptionem prouocare, eandemque opponere non posse. Quae cum ita sint errant vehementer, qui ex hac lege sententiam, quod exceptio veritatis a poena iniuriarum non liberet, confirmatam reddere cupiunt.

§. XIV.

Addit et pondus rei *l. 18. ff. de Iniur.* vbi Paulus ab initio dicit: Eum qui nocentem infamauit, non esse bonum aequum ob eam rem condemnari, peccata enim nocentium nota esse et oportere, et expedit. Ob propositiones equidem, quae vero distincte non sunt separatae obscuritas inesse legi videtur, sed ratio addita omne dubium tollit, et demonstrat valere sententiam, quod ille qui dixit vera, quamvis alterius laedatur fama, non sit condemnandus, cum id fecerit quod saluti reipublicae conuenit, vt delicta scilicet non maneant in occulto, et ciuibus



detur occasio euitandi consortium eius, quod aliis nocere potest.

§. XV.

Vti vero quaelibet regula patitur exceptiones, ita quoque dantur casus vbi veritatis probatio iniuriantem non defendit, sed nihilominus eius factum meretur poenam. Si quis enim foeminae, quae ob perpetratum stuprum poenam lege determinatam passa fuit delictum obiiceret, eandemque meretricem vocaret, is utique actionem iniuriarum contra se sentiret: Perpeffa etenim poena, delinquens satisfactio- nem praestitit reipublicae; quo facto, delictum quasi extinctum videtur, nec vindicationi vltiori subiicitur. Ille igitur qui huius facinoris memoriam reuocat, animum calumniandi liquido probat, cum nec eius interesse sentiat praecudicium, nec utilitas reipublicae, quae iam dudum iniuriam illatam vindicauit, emolumentum animaduertat; idem et obtinet quoties legis prohibitio adest, huc spectat casus in famoso libello. Quamuis enim verum sit delictum quod in hoc libello alteri subiicitur, scribentem tamen hoc non excusat, cum iudicialiter ad probationem criminis se offerre, non vero per clancularias suggestiones, et extraiudiciales distamations proximum laedere



laedere debuisset. Eam ob causam poena quidem
ordinaria cessat, extraordinaria tamen sibi vindicat
locum. Probat hoc sanctio Caroli V. Art: 110.
*Vnd ob sich auch gleichwohl die aufgelegt. Schmach
der zugemessenen That in der Wahrheit erfinde,
soll dennoch der Ausrichter solcher Schmach nach Ver-
mög derer Rechten, und Ermessung des Richters ge-
strafet werden. conf. CAREZ. Pr. Crim. Qu. 97.
n. 40.*



Handwritten text, likely a list or index, written in a cursive script. The text is arranged in several lines and appears to be a list of names or titles, possibly related to a collection or inventory. The handwriting is somewhat faded and difficult to decipher.







Leipzig, Diss., 1771 L2

ULB Halle

005 108 616

3







17

Et. g. num. 40.
1772/67

EXERCITATIO IVRIDICA
QVAESTIONEM CONTINENS

*An et quatenus exceptio
veritatis, a poena iniuriarum liberet*

Q V A M
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
P R A E S I D E
D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO
COD. P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTISB. CAPITVL. CVRIAE
IN PROVINCIA SVPREMAE IVDIC. LVSAT. INFERIOR.
NEC NON FACVLT. IVRID. ASSESS. ET
ACADEM. DECEMV.

P 43A

IN AVDITORIO ICTORVM
D. XIX. FEBRVAR. MDCCLXXI.
PVBLICE DEFENDET
ELDAT. FRIDERIC. WEBERVS
DRESDENS.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

